



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè
explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

De Vesperis. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9521

idem, proregunt nos in tribus horis sequētib; nam qualibet ex his tribus horis tres continet temporis horas, vt patet; immo, vt idem ait *cap. 1. ibid.* in Prima, Tertia, Sexta, & Nona, duodecim canimus Psalmos (in Festis) pro numero duodecim Horarum diei, vt Deo præsententur sinus omnibus horis.

4 Addit Hugo *loco citato* in Psalmis opera denotari, quia Psalterium manu sonatur. In antiphona, quæ est reciproca, caritatem geminam, & coniungitur Psalmis, quia sine caritate nulla sunt, & nullius meriti opera nostra. Capitulum autem esse exhortationem boni operis. Responsorium breue nouum opus bonum significare. in Versu, ad Deum, fructum boni operis contineri. & his positis, Oratio, seu Collecta in fine rectè concludit Horam.

De Vesperis. Cap. V.

1 **V**espera à sydere, quod Vesper nominatur, & decedente Sole, oritur, inquit Isidor. *lib. 1. de offic. capit. 20.* Sed ex Iansenio in *Concordia capit. 57.* latius patet vocabulum. significat enim, tempus, tum ante Solis occasum. vt *Matth. 14.* Vespere facto, actum est de fatiandis quinque millibus; tum post occasum Solis, vt *ibidem.* additur; Vespere autem facto, solus erat ibi. Lucernarium dicebantur à Hieron. in *epist. ad Letam;* & Lucernaris Hora à Cassiano *lib. 3. de Can. cap. 3.* eo quòd dum lucernæ accenderentur, preces vespertinæ persolui solebant, ait Azor. *lib. 10. cap. 2. quest. 10.* Duodecimam appellat Concil. Turonens. *2. can. 19.* quia vltima diei hora recitabantur. *Durantus de rit. lib. 3. cap. 11.* afferit, Ecclesiam constituisse, vt post Nonam decantarentur, quo plures de populo adesse possent. Puto ego, quod tardius, quàm nunc, cantaretur Nona.

2 Certè à primis Vesperis inchoatur Festum, quod fortè à Dauide deduci potest: *Vespere,* inquit, *mane,* & *meridie narrabo,* &c. *Psalm. 54.* docet Amalar. *de ordine Antiph. cap. 16.* deductum ab

Hebræis, quibus dictum est: *Festa vestra celebrabitis à Vespera vsque ad Vesperam.* Et verè magnitudo Festi exigit, vt prius incipiat, hoc est, à Vesperis pridianis; & tardius terminetur, idest, vsque ad Completorium diei Festi. *cap. 2. de Ferijs in princip.* Radolph. autem *proposit. 18.* assignat hunc ritum primarum Vesperatum Dominicis, & quibuscumque Festis nouem lectionum.

3 Primæ Vesperæ nobiliores sunt secundis, teste Amalar. *loc. cit.* quod & hodie in Cappella Papali, obseruatur, quæ non habet secundas Vesperas coram Papa, sed tantum primas, quia initium Festi reputantur esse.

4 Præter ea, quæ dicta sunt de paritate Vesperarum cum Laudibus *capite 2. n. 5.* hæc addi possunt, in laudem Vesperam. nam in Vesperis commemoratur Aduentus Domini, vrgente mundi Vespere. Hugo in *Spec. cap. 3.* tum in Vesperis offerebant Abraham, & Patriarchæ sacrificia; Gemma *lib. 2. cap. 62.* tum commendatur sacrificium Vespertinum à Dauide *Psalm. 140.*

5 Ordo in Rubricis nullam habet difficultatem, ad mysteria vocor. nam quinque Psalmi vulnera Christi recolenda moment, quorum vltimum vltimus hora Vespertina fuit facto lateri illatum; & in Vespera mundi; Gemma *lib. 2. c. 62.* Item, quia sicuti quinque sensibus quotidiano affectu tendimus ad tenebras; ita necesse est, vt initio noctis pro eis veniam precemur; Amalar. *lib. 4. de offic. capit. 7.* qui & addit *ibidem,* quod illis necesse est deplorare quinque carnales suos sensus, quibus occidit verus Sol; vt in Matutino, idest, in euasione peccatorum, quando Sol eis iterum inchoat oriri, possint letari. tenemus etiam quinque hos Psalmos quasi lampades Virginum quinque, vt veniente nocte Domino obuiam eamus; ait idem *de Ordin. Antiph. cap. 6.*

6 In Festis Sanctorum ijdem ferè dicuntur Psalmi, qui in Dominica: quia sicuti Dominica victoriam Christi resurgentis representat; ita Psalmi eiusdem victoriam per Christum resonant electo-

torum Domini, Amalar. lib. 3. capit. 7.
 7. De Capitulo, quod lectionem vocat
 Amal. ibidem, & post Psalmos collocat;
 De Hymno, de quo Hugo post Capitu-
 lum in Spec. cap. 3. (non autem meminit
 Hymni Amal.) vt scilicet venienti Do-
 mino psallentes, & iubilantes, occurra-
 mus; ait Gemma lib. 2. cap. 62. De Versu,
 quo conuersi ad Deum cum Virginibus,
 quasi ostium pulsamus, Gemma ibidem,
 dicemus fufius in seq. Sectione.

8. Canticum *Magnificat*, passim voca-
 tur, in Ordine Romano, Euangelium,
 quia ita est *Luc. 1.* Et cantatur in Vesperis
 ob multas causas. Primò, quia à Vesperis
 inchoatur Festum, & hoc Canticum
 in Euangelio est in ordine primum.
 Secundò, Vesperæ sunt nobiliores Lau-
 dibus, & Completorio; quibus ideo de-
 betur Canticum nobilius Tertio, quia
 sub Vesperam Beata Virgo peruenit in-
 domum Elisabeth, quam salutauit, &
 Canticum statim hoc composuit; Ben-
 zoni in *Magn. lib. 1. cap. 20.* Quarto,
 Amalarius addit de ordine *Antiph. c. 6.* vt
 Maria cum suo Cantico introducat Vir-
 gines cum quinque lampadibus, & hoc
 est, Psalmis quinq; præparatas ad Chri-
 stum. Quintò, ex eodem *lib. 5. de offic. c. 7.*
 vt castigatis sensibus per quinque psal-
 mos, caligenetur cogitationes cordis tu-
 mescentis cum humilitate, de qua in Cã-
 tico B. Virg. agitur. Sextò, vt animos fide-
 lium frequentior Dominice incarnationis
 memoria (quotidie namque dicitur)
 ad affectum deuotionis accendat, & re-
 cogitata sepius exempla Genitricis illius
 in virtutum soliditate nos confirmet; &
 hoc præsertim in Vesperis, & incumbẽ-
 te quietis tempore mens inde fatigata ad
 vniõnem se suæ considerationis colligat.
 Idem *ibidem* Septimò, est Durand. *lib. 5.*
cap. 9. ex Beda, Magnificat, cantatur ad
 Vesperas, quia in ipsa Vespera mundi
 suo assensu Beata Virgo mundo succur-
 rit perditò; & ipsa est Vespera Stella
 Maris. Octauò denique in sexta laude ex
 horis septem conuenit hoc Canticum
 cantari, in quo Dominus ille venisse di-
 citur, qui ad Vesperam mundi venit ad

nos in sexta mundi ætate.
 9. De Oratione, Præcibus Suffragijs, &
 sine Vesperarum suis locis in Sectione
 sequenti.

De Completorio. Cap. VI.

1. **V**ox *Completorium*, reperitur pri-
 mò in *Regula Sancti Benedicti*
cap. 42. Completam vocat Ilidor. *lib. 1.*
de offic. cap. 21. Vel quia in ea completur
 quotidianus vsus cibi, potus, & locutio-
 nis apud Regulares, ex Amalar. *lib. 4. de*
offic. c. 8. Vel quia in Completorio sum-
 ma est perfectio diuinorum officiorum
 ex eodem *de ordine Antiph. capit. 7.* Vel
 quia completur dies seruitutis nostræ,
 Gemma *lib. 2. cap. 64.* Vel completur to-
 tum officium diuinum, ait Beda in *libro*
Medit. passion. Christi cap. 1. Vel quia ip-
 samet dies completur ea Hora: Archid.
 in *cap. solent, de consecr. dist. 1.*

2. Eius origo rei desumi potest cum
 Ilidor. loco citat. à Dauide, qui *Psal. 131.*
Si dederò somnum, ait, oculis meis, donec
inueniam locum Domino; vel à Sancto Ba-
silio, qui in reg. fufius disp. interrog. 37. me-
minit Psalmi, Qui habitat, licet Basi-
lium aliter explicet Francolin. 1. part.
c. 19. initio. sed Durantus de rit. lib. 3. c. 12.
quem sequuntur Azor. lib. 10. cap. 2. quæst.
11. & Suar. lib. 4. de Hor. can. cap. 5. nu. 9.
 explicat de Completorio. Colligit Suar.
 Completorium ex Amb. 5. *Exam. c. 12.*
 & *lib. 3. de Virginibus;* immo ex Cypria-
 no videtur posse colligi, *lib. 1. de oratione,*
 vbi ait recedente Sole, ac discendente
 necessario rursus est orandum, vbi in
 primo verbo, *recedente,* Vespera in alte-
 ro, *discedente,* notat Suar. Completorium.
 Verum ijs primis temporibus rude fuit
 potius, quam completum Completo-
 rium.

3. Additum fuisse Cassiani tempore si-
 mulcum Prima certum est, vt docuimus
supra c. 3. huius Sectionis, vbi etiam cum
 Prima comparauimus Completorium.

4. Sequitur ex dictis, illud esse recitan-
 dū congruentius hora duodecima, nimi-
 dum, quando Christus sepulturæ fuit tra-
 ditus.